4

(6

PVBLICA VRBIS NEAP.
GRATVLATIO

IN ELECTIONE ILLVSTRISS.MI ET REV.MI D. D.

DECII CARD.LIS CARAFAE
AD ECCLESIAM NEAPOLIT.

CONSCRIPTA A LAVRETO DE Franchis V. I. D. eiusdem Ecclesiæ Hebdomadario.





NEAPOLI,
Ex Typographia Io. Dominici Roncalioli. 1613.
SVPERIORVM PERMISSV.



BI primùm, Præsul Amplissime, de tua ad Archiepiscopalem Ecclesiam Neapolitanam electione certus perlatus est nuncius, quemadmodum ista tuis in omni genere præclarissimis virtutibus iam pridem debita, nunc verò diuinitus delata dignitas ingenti lætitia vniuersos extulit; ità quoque ad eam variè significandam, atque diuersis argumentis expromendam, omnium; & singulorum animos erexit, & vehementer admodum inflammauit: Et quemadmodum antea extinto pastore lugebat populus, & tota squalebat Ciuitas, sic te creato, cessauit luctus, abijt tristitia, recessit fletus oculorum, successitque sonus, & induta est iucunditate Ciuitas; ea etenim cùm eleuasset ad Dominum manus suas, & effudisset coram eo orationem, & clamorem, precesque libenter audiuit: quamobrem si post hominum memoriam non solùm gaudendi, sed magnopere omni ex parte exultandi, æqua est omnium hominum generi allata occasio, hoc profectò tempore ex tua electione tributa est maxima: fuit enim

illa Neapolitanæ Ecclesiæ singulare decus, & ornamentum, Clero, uniuersæque Diœcesi ineffabilis consolatio, Proceribus inenarrabilis hilaritas, cæteris verò omnibus mira iucūditas. Vela igitur gratulationis explicemus, & gestiētibus animis frœna laxemus. At vnde initium sumam? audio voces, clamoribus aures resonant; perspicio singulos summo elatos gaudio, vt à se ordiar, auidissimè cupere: ex quo non leuis oritur difficultas, quis Principem locum obtineat; quam quidem penitus tollit sponsa tua dilectissima, ac speciosissima Ecclesia, quæ tamquam amatissima parens filijs Iure anteponenda est. Exultat igitur ea sponsum nacta, omnibus numeris absolutum, magni Consilij, plenum officij, plenum pietatis, ex cuius mente omnia honesta, omnia salutaria, nihil quod gloriosum non sit, proficiscatur; cuius cogitationes, nihil preter Christi laudem quærant, & gloriam. Effunditur in lætitiam, quod vbique testatus sis, quàm tibi cordi est Ecclesiastica libertas, quàm strenuè, quàm acriter pro ea dimices, quàm vitæ tuæ contemptor sis, sanguinisque profusus, ne quid de ea deperdatur,

datur,

datur; quàm denique insurgentes in eam hostes fortiter deprimas, atque contundas. Aduenit sponsæ tuæ fœlix, exoptatusque dies, ille inquam expectatissimus, eique, à quo genitus est simillimus dies, cuius videndi incredibili tenebatur desiderio; nouit se ipsam, nouit te, nouit maiores tuos; ea enim neq; rugam vnquàm, neq; maculam passa, sancta est, formosa est, similem optabat sibi sponsum; similem maioribus tuis; meminerat virtutum maiorum tuorum, meminerat beneficiorum; spectabat in te veterum imaginem, amabat filium, optabat sponsum, optabat patrem; voti compotem iam factam, quanta putamus exultasse lætitia? quantijs gaudijs gestijsse? Capitulum verò tuum cum vniuerso Clero, quanta affectum iucunditate autumamus? enim verò tanta, vt ennarrare difficile admodùm videatur; miratur tuarum diuinarum virtutum præstantiam, miratur animi magnitudinem, gaudetque se ab huiusmodi Pastore, huiusmodi Principe gubernandum. Quid ni faciat? Probe scit vitæ tuæ integritatem, probe doctrinam, perspecta iam habet quanta pro Chri-

stiana

stiana Republica, pro Sede Apostolica sis perpessus, quot grauissima munera magna cum laude obieris, labores fortiter exanthlaueris, discrimina viriliter adieris, perspectam habet inuictam patientiam, ingentem constantiam, indefessam sollicitudinem; nouit itenerum tuorum longitudinem, asperitatem, nouit incomoda; peragasti enim partem vniuersi Orbis maximam, pedibus ne tantum? laudibus potius. Omisisti ne vnquàm, quod Ecclesiæ, quod tibi futurum fuisset gloriosum? an tardauit metus? tardarunt pericula? Nihil profectò: itaque sic te in laboribus gessisti, vt admirabile laborum initium, gloriosior exitus sequeretur: quamobrem posteritati speculum factus es, et scopus, quod spectent, quem imitentur, si cum laude, si cum gloria viuere, præclareque agere cupiunt; licet collimare ad tantum scopum difficile sit. Tu per omnes Ecclesiasticos gradus gradum faciens, ita omnes illustrasti, tantum omnibus addidisti splendoris, & ornamenti, vt debitam multò ante tibi, qua nites, purpuram clamarent vniuersi, patrem patriæ, antequam fieres, quod paucis contigit,

git,

git, appellarent, & præter te, nemini magis Ecclesiasticum Patriæ Principatũ, & Archiepiscopale munus quadrare, atque conuenire prædicarent. Commemorat celeberrimam memoriam, clarissimam seriem, illustriaque Archiepiscoporum Illustrissimæ familiæ tuæ stemmata; inter quos veluti fulgentissimum sydus occurrit primò Oliuerij mira munificentia in sacris ædibus construendis, eximia doctrina, honoris, & furtunæ incrementa, quæ illi supra votum in exstirpandis præcipuè Christiani nominis hostibus, alijs in rectam viam, religionemq; reuocandis felicissimè contigerunt. Pauca hæc te Oliueri? ita equidem, nam vniuersa quis valeat? imò celebrant vniuersi; quot quot enim Diui Ianuarij sacras Reliquias ornatissimo in sarcophago, sacelloq; Neapoli venerantur, quotquot præsenti sanctissimi Præsulis, præcipuique patroni auxilio releuantur, tot Oliuerij memoriam recolunt, qui sacratissimum Corpus huc transferendum curauit, Vrbemque prætiosissimo hoc Thesauro dicauit. Laudat Alexandri magnitudinem animi, mentis sublimitatem, pietatis ardorem. Recenset

Vincen-

Vincentij puritatē, atq; ab omni labe abhorrentē animum. Commendat Francisci benignitatem, beneficentiā. Contemplatur Alphonsi adolescentis inculpatam vitam, summam secundis in rebus temperantiam, admirandam in aduersis patientiam, Celebrat Marij patrui tui insignem circa gregem vigilantiam, paternam in pauperes, piaque loca dilectionem, & misericordiam, ardens in Ecclesiastica reparanda disciplina studium. Quid coner multa de te Mari? satis amplum adest testimonium, (vt omittam cætera) Seminarium à te magnis sumptibus erectum, redditibus auctum, & in omni liberalium artiū ac studiorum genere florentes, largis stipēdijs vndiq; inuitati, accersitiq; viri, qui egregiæ indolis, magnæq; spei adolescētes ibi adscriptos, ad spirituale pgressum, omniūq; virtutum perfectionem, piè, sanctèque dirigerent: Ex quo velut ex equo Troyano tot præstantes, strenuique ad curam animarum prodiere operarij, tot populorum Doctores, tot Hebdomadarij, tot doctrina, prudentiaque excellentes Canonici, tot, tantique Præsules, qui & si veluti lucentissima sidera extiterunt, tu tamen

quasi

quasi vnicus Sol, in omnes locos, lumen, splendoremque mirabilius diffudisti. Quid plura de patruo tuo? dies potius me dicentem deficeret, quàm tanti viri laudes absoluerem. Vnum illud omittendum non videtur, quod diuino penè afflatus numine; & fortasse fretus singulari indole tua, futurum te Cardinalem, suasque vices subiturum, coniectauerat: quorum, cum vtrumque exitu (fauente Deo) comprobatũ iam sit, quantum nos gaudemus in terris, tantum illum in Cœlis gaudere credibile est. At vbi praetereo te Io: Petre, Neapolitanorum Carafea ex familia Antistes Quinte, Romanorum verò Pontifex Paule Quarte? Aberis ne ab hoc Albo? non equidem; imò tantorum virorum tua commemoratione Album fiet Illustrius. Ordinem siquidem de industria praetergressi sumus; aequum quippe videbatur, vt numero tantorum Praesulum, tanquam lucentissimo alicui gemmarum serto, ipse, veluti splendidissimum aliquod adamas intexereris; & alijs numeratis postremus additus, tanquam om-

 nes

nes longo interuallo supergressus, clarius apparere. Quid magis in te mirer diuine Paule? quid potissimum celebrem? vereor, nè si laudes tuas exordiar, labyrintum aliquem ingrediar, cuius facilis sit ingressus, exitus difficillimus. Laudem ne prudentiam tuam? diuina fuit: supra omnem laudem fuit, cuiusuis, vel eximij, vel exercitati excludit copiam oratoris. Laudem nè sanctimoniam? admirabilis fuit; Cuiusuis acies hallucinatur. Quid ergo? Proferam testes. Grauissimus est Theatinorum familia, cuius auctor exstitisti, & institutor; in qua diuinis doctrinis, optimis exemplis, assiduis vigilijs, inflamato diuini cultus desiderio, studioque animarum salus impensè procuratur; & præclara ad æternam felicitatem comparandam prębentur auxilia. Testis est restituta vetus disciplina, longè, latèque, te Pontifice, cum vniuersi orbis vtilitate propagata. Testis est validissimum Romæ contra hæreticam prauitatem erectum propugnaculum, ac Tribunal. Quamobrem iure audiuisti, Armiger intemera-

meratæ fidei, cuius ſagitta numquam abijt retrorſum. Teſtis eſt (vt paucis abſoluam) ipſe orbis, de quo optimè meruiſti. Quid plura? Angelico potius laudandus es ore, qui dum in terris vixiſti, vitam vixiſti Angelicam. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt: magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt: memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. Numerat propterea familiæ tuæ alios Epiſcopos, Archiepiſcopos, plures S. R. E. Cardinales, qui ingreſſi ſunt ſine macula, operati ſunt iuſtitiam, opus, & miniſterium impleuerunt; quorum vita, moreſque omnibus diſciplina, & inſtituta fuerunt; quorum mors præcioſa in conſpectu Domini; quorum merita inſignia ſcriptorum, & hiſtoricorum monumenta immortalitati commendarunt. Silentur conſtructiones, ac templorum inſtaurationes; piæ pluribus in locis erectæ domus; ædificata religioſorum

B 2 viro-

virorum, virginumque Cænobia; aliaque omnium gentium, omnium seculorum memoria celebranda tuorum gesta. Lætantur proceres; Lætantur sedilia, quod ex ipsis ortum habeas, ex domo insigni, & (vt verius loquar) regnatrice: ex ea inquam, quæ per omne æuum, omnes titulos assecuta, recenset Comites; numerat Marchiones; enumerat Duces; enumerat Principes; & (quod maximum decus, & ornamentum est) Principes, libera imperia possidentes. Omitto plerosque celeberrimos, domi, militiæque rerum gloria florentes viros; quorũ fide, industria, Reges; Imperatores; Romani Pontifices grauissimis in muneribus, superioribus tẽporibus vsi sunt, ad præsens vtũtur. Ex quo factum est, vt ij, dùm vixerunt, insignibus ornamẽtis, speciosisq; honorũ titulis ab illis decorati, sũmos ẽt honorũ gradus, optimã hæreditatẽ, ãplissimũ patrimoniũ posteritati legarint. Reliqui supstites pcipua seculi ornamẽta sũt; quorũ spectãtes ipsi pceres lõgã seriẽ, intuẽtes pclara facinora,

ita

ita tui desiderio incenduntur, ita ad amorem tui impelluntur, vt ab eis non nisi mutuam beneuolentiam, summum obsequium, & maximã venerationem iure optimo sperare possis, ac debeas. Gaudent causidici, & forenses omnes, quòd in decidendis causis integer sis, & circumspectus, in docendo explicitus, in obiurgando benignus, ad pœnam tardus, ad præmia velox: Nimirum tanta tibi est in moribus suauitas, in sermone hilaritas, in actione dignitas, in vultu maiestas, in verbis fides; tanta prudentia es præditus, tanta præfulges iustitia, vt neminem à te, (quæ veræ partes Principis sunt) mæstum discessisse vnquàm constet. Gaudent eruditi viri, quique delectabile viuendi institutum amplexi, ingenuis artibus, liberalibusque studijs delectantur, quod se continenter alas, tuearis, incredibili quadam caritate complectaris, ac diligas: Vt demum à tanta lætitia, & gratulatione nemo sit immunis, Euangelizantur orphani, viduæ, pauperesque lætantur, quòd patrem à Deo Opt. Max. impetrauerint,

qui affatim, copioseque orationis, doctrinæq; pabulum animabus subministret; panem spiritualem fame laborantibus abundè suppeditet; & aqua sapientiæ salutaris, velut vberrimis imbribus, famem pellat; patrem inquam, pium, liberalem, beneficum, atque ita ad benè de omnibus merendum natura propensum, vt vnicum miseris perfugium iure voces. Audin voces populorum, laudantium Dominum? Audin laudantium Romanorum Pontificem? à quo tanto ditati sunt bono; qui prouinciam hanc cum demandare plerisque posset aptissimè, te potissimum ex ea familia delegit, quæ Seminarium exstitit Neapolitanorum Archiepiscoporum; tanquam vnum, cui vni onus hoc, vel ipsis Angelicis humeris formidandum, conueniret; tanquam eum, quem Ciuitas optabat vniuersa. Debebatur hoc, Paulle Quinte, Prudentiæ tuæ, penè diuinæ; pulcherrimo enim veluti ædificio gestorum tuorum, apicem, & supremam quandam manum, purpura DECIO tributa, Neapolitanus grex commissus imposuit:

posuit: quamobrem tibi magna, ex parte lætitiam hanc acceptam referimus; dum enim optimum nobis destinas pastorem, Nos abs te vnicè diligi, maximaque in existimatione apud te esse Neapolitanam Ecclesiam, gregemque declaras. Equidem diuinitus factum puto, vt quemadmodum paucis ab hinc annis, addito octauo patrono, addita nobis lætitia est; sic etiam, assumpto Carafia ex familia Octauo Archiepiscopo, maximæ fierent lætitiæ accessiones. En veræ acclamationes omnium, DECIVM appellantium, Patrem Patriæ, Vrbis splendorem, Præsulum Decus, Domicilium virtutis; Columbam in medio Cleri deargentatam, cum dorso eius deaurato, vestitam auro caritatis; Doctorem omnium circundatum varietate virtutum; florem suauissimo odore fragrantem, exortum ex floridissimo Carafiæ viridario; Pontificem omnium Pontificiarum virtutum copia ornatum. Omnium in te defixus est vultus, spes omnis sita; paruuli lætis te clamoribus conclamant patrem, qui frangat eis panem doctrinæ, & pie-

tatis;

tatis; pauperes ſubleuatorem; viduæ, pupillique patronum, exemplar humanitatis, atque clementiæ; ſenes baculum; oppreſſi conſolatorem, normamque Angelicæ vitæ; fautores iuuenes, vitæque præſidium; literati viri mæcenatem, qui neminem ſibi non ſummis beneficijs alliciat atque deuinciat. Quotus quiſque eſt, qui, te Præſide, feliciora tempora, auream, (vt ita dicam) ætatem redditur am non ſperet? quem vocem tuam non maximè audire delectet? qui Aduentum tuum quàm citiſſimè omnibus votis non exoptet? Venis igitur cũctis gentibus deſideratus, maxime expetitus. Reliquum eſt, vt immortali Deo, rerũ omnium auctori, dignitatumque largitori, gratias, quam maximas agamus, quod publicis, priuatiſque præcibus annuerit; quod te nobis Paſtorem dederit; paſtorem, tanquam Aaron vocatum, peruiglem, ſedulum, rebus diuinis perpetuò inhiantem, pudicum, honeſtate decoratum, charitate plenum; lucernam Cleri, in ſublimi Eccleſiæ Candelabro accenſam; & veluti ſpeculum quoddam, in quo nexu, vinculo-

culoq́ue pulcherrimo tuorum maiorum virtutes, ita obstrictæ, connexæq; nitent, vt vna tantummodo virtus videatur. O Nos felices? quid enim felicius nobis? quibus iam aliud optandum magis non est, quam tuam in omnibus voluntatem sequi, & exempla sectari. Felix ergò, faustèque viuas, vt nos Deum enixè obtestamur, quod tibi vitæ diurnitatem, firmam tribuat valetudinem; eaque conferat actionum adiumenta, quibus Populis, tuæ curæ concreditis, diutissimè, felicissimèque prodesse possis, & valeas Quod erit finis gratulationis huius publicæ, à me descriptæ, quæ, sicut in omnium vultu, in omnium ore, iam Neapoli visa est; sic eam ipsa dies aduentus tui, quo singulari, & incredibili amoris, & obseruantiæ significatione ciuis, & pater excipieris, satis, superq́; declarabit. Eam igitur hilari, ac alacri animo accipias, rogo: credasque me humillimum seruulum tuum, obseruantiam, reuerentiamq́ue potius, quàm facundiam, ostentare maluisse. Absit enim, vt hoc mihi initio propo-

propofuerim: noui me ipsum; noui rudem, & incomptum stylum: scio quanta in huiusmodi rebus describendis elegantia, quanta copia requiratur. Tuus est, qui scribit, mancipio, & nexu; quæ scribit, tua sunt; tua, quæ dat, simplicia (ut decet Ecclesiasticum) non fucata verba. Benignè igitur tua suscipe; rarò enim euenit, ut cultori, et insitori arboris suæ, quam ipsemet conseuit, poma displiceant.

IMPRIMATVR.

Petrus Antonius Ghibertus Vic. Cap. Neap.

Rutilius Gallaccinus Canonic. Deputat. vidit, regist. fol. xxxiij.